

inter et homines orare debet, aliorum orationes in publico Ecclesiae conventu postulare, quod et illud Scripturae testimonium suadet, statuerunt Apostoli, ne Sacerdotes publice poenitentiam agerent). Unde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit condigna, sit etiam fructuosa ». Vides hic non negari simpliciter poenitentiam clericis, sed eam, quae per manus impositionem accipiebatur, quaeque privatae opponitur. Remedium vero poenitentiae, quod dabatur ritu impositionis manus, erat publicum, quod postea in feria quarta cinerum inchoari consueverat.

Quod de presbyteris et diaconis affirmat Leo, ad universos clericos extendit Siricius Epist. ad Himerium « Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut poenitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum; ita et post poenitentiam et reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem clericatus adipisci ». Contendit Natalis Diss. citata Concl. I. Decretum hoc Siricii de solis clericis maioribus esse accipiendum, propter aliud decretum subsequente seculo a Felice III latum, quo etiam Clericis minoribus poenitentia indicitur. Quod si ipsis poenitentia concedebatur, nulla quaestio est circa eosdem, an nimirum iis lapsis in peccata venia concederetur. Quaestio proinde erit tantum quoad Clericos maiores.

Iam vero quod clericis, qui prohibiti sunt a poenitentia publica, non sit negata venia poenitentibus per absolutionem secretam, liquet 1) ex eo quod exceptio huiusmodi ab universali regula, quae omnibus poenitentibus promittit veniam per Ecclesiae claves, a nemine antiquo significatur; quod enim afferri potest, probat tantum clericos interdictos fuisse a poenitentia publica; 2) liquet ex eo quod haec exceptio est evidenter opposita intentioni Christi instituentis Sacramentum reconciliationis pro quolibet fidei. Liquet 3) ex eo quod alia poena puniri solent Clerici graviter delinquentes, nempe depositione seu degradatione; 4) clerici autem depositi redigebatur ad communionem laicam; qua re nihil frequentius in antiquis canonibus. Redacti autem ad communionem laicam poterant cum laicis de Eucharistiae mensa participare; atqui qui ius ad hoc habebat, ius quoque ad absolutionem peccatorum habebat; ergo. Et de his quaestionibus historicis modo satis.

THESIS X.

Ex verbis Christi conferentis potestatem remittendi simul et retinendi peccata, atque ex Ecclesiae antiquae sensu et praxi constat necesse esse ut fideles peccatores ad obtinendam lethaliū criminum veniam coram Deo, clavium potestati se subiciant.

I. Duplex necessitas in hac re distingui debet, hypothetica, absoluta. Nimirum cum quaeritur utrum necessaria sit subiectio fidei clavibus pro obtinenda reconciliatione cum Deo, respondetur primo eam esse necessariam, si quis uti velit beneficio potestatis clavium, quae exerceri non potest sine hac subiectione poenitentis. Verum restat alia quaestio, nempe: estne necesse ad obtinendam remissionem peccatorum uti hoc beneficio, et idcirco se subicere huic potestati? cui quaestioni rursus affirmative respondendum est. Liqueat priorem esse necessitatem hypotheticam, alteram absolutam. Porro in hac quaestione, in qua de indole potestatis collatae a Christo disputamus, loquimur de altera necessitate, quae est absoluta.

Sane perpendamus verba Christi iam citata. Vidimus iis verbis *quaecumque solveritis, quaecumque ligaveritis, quorum remiseritis peccata, quorum retinueritis*, collatam esse a Christo potestatem aliquam, cuius actus esset *solvere et remittere, ligare et retinere*. Quid est porro retentio peccati ex potestate facta? Si spectes physice, ipsa est per se aliquid negativum, h. e. negatio absolutionis; at si spectes *iuridice*, ipsa est aliquid positivum, vel ei aequivalens: est enim, ut loquitur Trid. Synodus Sess. XIV. cap. 5. *sententia retentionis*. Sane exercitium est, eo modo quo fieri potest, potestatis a Deo collatae: negatur scilicet remissio ab eo qui potest eam dare, quia non vult eam dare. Porro *effectus iuridicus* denegatae remissionis est peccatum ita manere ut eo manente maneat obligatio poenitentis se subiciendi eidem potestati pro consequenda remissione: *effectus* vero *iuridicus* ipsius potestatis denegandi remissionem is est ut haec obligatio existat statim ab admissio peccato.

Haec declaranda et probanda sunt. Probandum est scilicet quod ille, quem diximus, sit *effectus iuridicus* et negatae absolutionis et praeterea potestatis negandae absolutionis: quod quidem accurate, probandum est; idcirco veluti per gradus quosdam demonstratio procedet.

II. Sic ergo ratiocinamur. a) Talis est institutio Christi ut peccata hominis, qui iam se subiecit clavium potestati, non remittantur

independentem ab hac potestate. Verba enim Christi sunt: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt*; nimirum, si remiseritis vos, remitto et ego; si retinueritis vos, retineo et ego. Scilicet in verbis Christi actus Apostolorum se habet ut conditio, actus Dei ut conditionatum. Si ergo peccatum a Deo remittitur remittentibus Apostolis, non remittitur a Deo non remittentibus h. e. denegantibus Apostolis remissionem, consequitur remissionem peccatorum pendere quoque necessario a ministerio Apostolico. Et sane qui potestatem hanc retinendi habet, potest denegatione suae absolutionis efficere ut peccator venia careat, retinet enim eo ipso Deus peccatum; qui vero id efficit, ipse quoque facit ut peccator egeat sua potestate pro venia assequenda ideoque independentem a sua potestate non sit solutus. Nam si independentem a sua potestate solvi posset, ipse profecto denegando absolutionem non efficeret ut peccatum maneret, seu ut peccator venia careret, quod tamen Christus affirmat; quoniam citra suam absolutionem posset remissio obtineri. Ergo potestas retinendi peccata infert dependentiam remissionis pro peccatis subiectis clavibus a potestate eadem clavium.

Inepte autem omnino verba Christi acciperentur hoc sensu, ut nempe denegantibus Apostolis absolutionem, tunc quidem pro ea vice peccatum maneret, at deinceps posset a poenitente aliis mediis obtineri remissio, independentem a potestate Apostolica. Nam 1) in hac hypothesi potestas Apostolica retinendi peccata esset potestas inutilis; 2) falsa forent verba Christi: retinentibus enim Apostolis retinet Deus; Apostoli autem tandiu retinent quandiu non absolvunt: et tamen haberemus peccatum remissum, non absolventibus Apostolis. 3) Christus dixit peccata, quae retinuerint Apostoli, *retenta esse κεραινηται*, quae vox est temporis perfecti, quae proinde significat continuationem actionis, sive effectus eius (cf. Gramm. Matthiae §. 497); quod ex ipsa vulgata versione significatur: *retenta sunt*, quae verba aliquid stabile et perseverans significant. Nimirum peccatum retentum ab Apostolis, manet ex se *in perpetuum* a Deo quoque retentum, donec remittatur ab illis.

Si autem denegata absolutione ab eo, qui potestatem habet absolvendi, peccatum hoc ipso manet, consequens est ut independentem ab eadem potestate remissio peccati subiecti clavibus non obtineatur; secus enim falsum esset peccata manere, retinentibus Apostolis. Necessesse est igitur ut ille, cuius peccata retenta sunt, rursus se subiiciat eidem potestati pro assequenda remissione.

At 2) si ita est, etiam antequam prima vice se ei peccator subiiceret, iam tenebatur se eidem subiicere, vi institutae a Christo huius potestatis remittendi et retinendi peccata. Nam necessitas ad-

eundi rursus idem tribunal vel oritur ex ipso facto libero, quod nempe quis prima vice adiverit, vel ex aliqua speciali lege Christi superaddita institutioni huius potestatis, pro iis qui se iam subiecerint, vel ex generali lege obligante omnes peccatores ei se subiiciendi. Atqui non primum; nemo enim per actum liberum, quo utitur aliquo medio libero, renuntiat iuri quod habet ad usum aliorum mediorum, si prius medium inutile evadat. Neque secundum; nam Christi lex ita concipi deberet. Possunt quidem fideles peccatores independentem ab hac potestate assequi alio medio remissionem peccatorum, verum quoniam hoc novum medium ego instituo, quod est certius, volo ut qui eo uti voluerit, eius etiam incommoda, si qua sunt, patiat, et idcirco si quis hoc tribunal adiverit pro obtinenda remissione peccatorum, suorum criminum causa non nisi in hoc tribunali finiatur; ita ut non possit amplius uti alio medio, quo independentem a potestate hac assequatur remissionem. Iam vero constat non existere huiusmodi legem, quae iis, qui sponte utuntur medio posito in hac potestate, adimat ius utendi alio medio communi, quo independentem ab ea potestate possit idem effectus obtineri. Quod primo patet a simili. Peccata enim venialia potest quis, si velit, subiicere clavibus; sed, etsi eorum absolutio negetur, non ideo debet ea rursus subiicere, eorumque remissionem ab hac potestate obtinere: cur vero? quia nimirum neque antea tenebatur propter ea peccata tribunal hoc adire; et idcirco integrum ei est, etiam postquam adierit, alia usurpare media, ea nempe, quae prius quoque erant in eius potestate. Ex quo colligitur non ita esse institutam a Christo hanc potestatem, ut, cum spontanea non obligatoria est subiectio, nequeat independentem ab ea potestate obtineri remissio peccatorum eius qui se subiicit. Id quoque colligitur ex ipso fine institutae a Christo huius potestatis. Est enim a Christo haec potestas instituta in bonum fidelium, ideoque ita instituta, ut fideles rationabiliter allicerentur ad eius usum. Reasonabiliter autem homines alliciuntur ad usum alicuius medii prae aliis, cum vel consecutio finis, quam homines desiderant, necessario nectitur cum usu eius medii, vel saltem usus eius medii est magis conformis modo naturali et communi agendi hominum. Atqui si Christus eam legem specialem tulit, fideles rationabiliter detererentur ab usu eius potestatis. Cum enim ex una parte certum sit aliud medium pro obtinenda remissione independentem ab ea potestate, et ex alia parte 1° haec subiectio sit per se molesta et difficilis humanae naturae, homines autem non soleant amplecti medium molestum, si alio possint eundem finem consequi; et 2° fieri possit ut ei qui se subiicit, negetur remissio ab eo quem adit, ideoque

homini poenitenti relinquendum esset id quod est in sua potestate pro eo quod non est in sua potestate, quod nemo in re alicuius momenti facere solet; idcirco nemo vellet cum his periculis uti beneficio illius potestatis. Quapropter effectus illius legis esset detertere omnes, ne adirent hanc potestatem a Christo institutam, quod prorsus repugnat eiusdem institutioni. Tertio ostenditur ex defectu rationis sufficientis huius legis, sine qua supponendum haud est Christum voluisse hac lege obligare fideles. Nam ratio nequit dici ea esse quod quis peccaverit; haec enim communis est omnibus peccatoribus: neque ea quod iam se subiecerit; cur enim propter opus bonum privabitur quis beneficio, quod alteri nihil tale agenti competit? neque ratio dici potest haec esse quia scilicet medium hoc obtinendae reconciliationis certius est, quo qui uti velit, etiam eius incommoda subeat oportet: nam quid confert haec maior certitudo huius medii illi, qui absolutus non fuit? in hac scilicet hypothesi cum ea non habeat locum, nequit esse ratio cur ille poenitens ad aliquid amplius quam ceteri obligetur. Non est ergo cur arbitremur hanc positivam legem superadditam fuisse a Christo institutioni potestatis clavium. Quarto tandem huius specialis legis nulla mentio occurrit in christiana traditione: in qua asseritur quidem lex Christi obligantis peccatores fideles ad subiiciendos se potestati clavium, sed est lex valens ex aequo pro omnibus peccatoribus et quae ex ipsa institutione potestatis colligitur. Ea igitur lex Christi specialis admitti nequit. Ergo ratio cur teneantur idem tribunal adire peccatores quorum peccata retenta sunt, ea est quia etiam priusquam adirent, iam se ei subiicere tenebantur.

Iam vero 3^o si etiam prius peccator tenebatur, obligatio haec orta est cum ipso peccato, nam nullum aliud initium eius originis pro singulis peccatoribus adsignari potest. Et sane liquet quod propter ipsum peccatum tenetur fidelis se subiicere clavibus; cum ipso ergo peccato oritur haec obligatio. Subsunt ergo huic obligationi peccatores omnes eo quod peccaverint, et haec obligatio praeventit quemcumque actum poenitentiae, quo peccator postea reconcilietur Deo.

Institutio igitur huius potestatis rite considerata huc redit: Peccata omnia fidelium, inquit Christus, subiicio potestati clavium: volo omnia peccata remitti ministerio Apostolico, ideoque remitti remissione directa (remissio directa est actus potestatis tendens in remissionem peccati); independenter a ministerio Apostolico nolo remitti quodlibet peccatum. Haec liquent ex dictis. Oportet ergo facere satis huic institutioni et legi Christi.

Porro duplici modo potest ei fieri satis, sive duplici modo potest peccator se subiicere potestati clavium; nempe tum re, tum saltem

voto. Haec altera subiectio in eo est, quod quis velit se actu subiicere, paratusque sit id facere, cum poterit. Cum autem haec subiectio est debita, simul cum illa voluntate conserta est obligatio reapse illud praestandi, quod in voto habetur, cum occasio se dederit. Haec autem et ipsa vera subiectio est, ea enim animus subiicitur, quem praecipue afficit lex. Iam vero institutioni Christi, quae statuit independenter a potestate clavium remissionem peccatorum non obtineri, omniaque peccata remittenda esse directe, fieri potest satis etiam sola subiectione in voto supradicta, non quidem ita ut non amplius debeas, si potes vel tunc vel postea, te subiicere actu, quod contradictorium esset, sed ita ut sola subiectio in voto certis in adiunctis ponat sufficienter id quod ex hac Christi institutione requiritur ut actu remissio obtineatur. Sane ea existente, cum eius quoque intuitu confertur a Deo solo remissio peccatorum, verum reapse est non remitti peccata independenter a potestate clavium; remittuntur enim propter subiectionem ad illam, qua cum nexa est obligatio manens petendae tandem remissionis directae. Haec autem subiectio saltem in voto est necessaria; si enim peccatum remitteretur alio medio independenter ab hac potestate sine obligatione subiiciendi illud clavibus, frustraretur institutio Christi.

Sane difficultas esse potest quoad illum, qui per contritionem est iustificatus. Verum quod contritio iustificans non tollat hanc obligationem et idcirco contritus debeat velle se subiicere clavibus, et cum poterit, ad id teneatur, ideoque debeat habere votum se subiiciendi, hoc argumento demonstratur. Nam certum est Christum voluisse peccata fidelium subiici potestati clavium eaque remitti, liquet ex demonstratione allata: certum quoque est noluisse adimere caritati aut contritioni vim iustificandi: iam vero si contritus non tenetur adhuc se subiicere clavibus, dicendum foret Deum reliquisse fidelibus optionem faciendi alterutrum pro obtinenda venia, aut contritionem, aut subiectionem clavibus, ideoque neminem per se obligasse ad hoc alterum; quod repugnat cum priore veritate. Ergo. Cf. quae dicemus sub n. VI.

III. Ut dicta clarius eluceant, proponamus difficultatem contra argumentum praecedens, quae ita institui potest. Potestas retinendi peccata supponit peccata; si autem qui peccavit conteratur, peccatum eius non amplius est. Quomodo ergo retineri potest? Et sane Apostoli nequeunt retinere quod neque Deus retinere potest: at peccatum contritione deletum Deus nequit amplius retinere. Etsi ergo Apostoli illud retinere vellent, non retineret Deus, quomodo ergo vera essent quoad illud peccatum verba Christi: *quorum retinueritis retenta sunt*? Si vero quoad illud peccatum nequeunt esse

vera verba Christi, ergo ad illud peccatum non se porrigit potestas his verbis collata Apostolis: cum autem ex his verbis colligatur obligatio subiiciendi clavibus peccata, nequit ergo his verbis Christi demonstrari necessitas subiiciendi se clavibus etiam pro iustificatis iam per contritionem.

Respondeo. Potestas retinendi peccata id actu efficiens ut peccatum actu maneat seu maneat homo reus penes Deum, supponit peccata, eaque praesentia, *conc.*: potestas in tota sua amplitudine spectata prout analysi instituta verborum Christi cognoscitur, quae huiusmodi est ut exigat quoque ut omnia peccata ei subiiciantur, *dist.*: supponit peccata praeterita, *conc.* supponit peccata adhuc actu existentia, *neg.*

Nempe, ut ex dictis patet, duplex est functio huius potestatis. Primo quidem ipsa vel in actu primo existens *exigit* ut omnia peccata ei subiiciantur: deinde in actu secundo cum exercetur, *facit ut maneat sub peccato* ille, cui negatur absolutio, *et obligatus sit rursus redire ad eandem potestatem.* Patet quod prior functio *exigentiae* se porrigit ad omnia mortalia peccata admissa.

Contra interpretationem traditam verborum Christi exstat tamen communis difficultas; nimirum collegimus necessitatem, qua obstringuntur fideles se subiiciendi potestati clavium, ut remissionem consequantur peccatorum, ex eo quod Christus dixerit non tantum *quorum remisistis*, sed etiam *quorum retinueritis*, feceritque potestatem retinendi peccata. Atqui potestas haec retinendi se extendit quoque ad peccata venialia, nam ea potestas aequae patet ac potestas remittendi, porro peccata venialia per eam potestatem remitti possunt. Atqui etsi Sacerdos peccata venialia retinere possit, non sequitur quod ad obtinendam eorundem remissionem necesse sit se subiicere ei potestati; nam nec necesse est ea confiteri, et alio modo deleri possunt: ergo ex potestate retinendi male infertur necessitas utendi hoc medio ad assequendam peccatorum remissionem.

Respondeo: cum haec potestas remittendi et retinendi sit delegata a Deo, est potestas remittendi ea peccata omnia, quae potest et vult Deus remittere et retinere. Porro effectus retentionis peccatorum per ministerium huius potestatis in hac vita est retenta ea esse a Deo, qui ratam habet sententiam Ecclesiae; retenta autem esse a Deo peccata est ea non remitti a Deo unquam, neque in hac neque in altera vita; dixi non *remitti unquam* independenter ab illa potestate; si enim independenter ab illa potestate vel independenter ab exigentia huius potestatis Deus remitteret tandem peccata, falsum simpliciter esset ea retenta esse in caelo, quae in terris retinent Sacerdotes; quia semper retinent, quamdiu non remittunt. Iam vero peccata venialia, quae sola sint, nec vult Deus, nec potest ita reti-

nere. Cum enim ea peccata impediunt ex se ingressum in caelum, ex alia vero parte iustus ratione gratiae, qua filius et amicus Dei est, ius habeat ad gloriam, necesse est ut haec peccata tandem remittantur; ideoque si iustus pro ipsis non satisfecerit libere, cogatur satisfati. Igitur peccata venialia non sunt huiusmodi ut perpetuo retineri possint. Cum ergo potestas collata Apostolis sit potestas retinendi perpetuo: *quorum retinueritis, retenta sunt, κερρατηνται*, ea potestas non extenditur proprie ad peccata venialia: ad quae tamen se extendit potestas remittendi, nam peccata venialia sunt remissibilia, et quidem facilius quam mortalia. Non est ergo eadem extensio potestatis remittendi et potestatis retinendi, sed utraque indefinite patet quantum potest, seu quantum patitur natura obiecti.

IV. Declaranda est tamen uberius necessitas, de qua locuti sumus. Duplex est necessitas, medii et praecepti. Necessarium necessitate medii illud dicitur, sine quo, etiamsi nulla obligatio moralis violetur, finis nequit obtineri. Necessarium necessitate praecepti illud dicitur, quod ideo pro consequendo fine fieri debet, quia faciendum est satis morali obligationi. Adverte duo. Primum est, quod medium ad finem alicuius consecutionem potest esse tale vel ex rei natura, vel ex positiva institutione illius, qui ius habeat connectendi certum finem cum certo medio. Alterum est quod praeceptum non est confundendum cum simplici institutione Dei. Deus enim e. g. instituit baptismum ut medium necessarium pro infantibus, qui tamen ipsis non est praeceptus. Sane institutio medii necessarii est quidem voluntas ut adhibeatur illud medium, sed per se non est necessario praeceptum. Nam ut sit praeceptum, oportet imponi subdito obligationem moralem sub culpa. At institutio medii potest hoc esse contenta: si quis velit hunc finem consequi, id agere vel habere oportet: seu nolo hoc bonum conferre nisi habentibus hanc qualitatem. Itaque est simplex connexio necessaria consecutionis finis cum aliquo medio. Porro utraque necessitas in idem obiectum convenire potest, ut in baptismo pro adultis; obligantur enim moraliter adulti adhibere media necessaria ad finem ultimum. Potest et altera separari, ut in baptismo pro infantibus. Ut ergo istae duae necessitates accuratius distinguantur, spectato in singulis quod proprium eorum est; necessarium ad salutem necessitate medii illud est, *sine quo salus nequit prorsus obtineri, etiamsi inculpabiliter omittatur seu non peccetur in eius omissione.* Necessarium ad salutem necessitate praecepti illud est *quod faciendum nobis est ut moralem ordinem custodiamus, ideoque ne peccemus.* Peccare autem non possumus nisi scienter et libere violantes aliquod praeceptum; unde necessitas praecepti adultos solum respicere potest. Porro adverte quod aliquid est necessarium ad